



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 122. Mahometes neo-electo Patriarchæ possessionem Patriarchatus  
consueto ritu tradit

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

nam, qua plena electionum libertas præ-  
 scribatur, attendebant, nec a mul-  
 tis retro sæculis inveteratam obser-  
 vabant consuetudinem, vi cujus Impera-  
 tori tres, ex quibus unum seligeret, no-  
 minabantur; Hisce autem temporibus  
 ipsimet Imperatores pro libitu suo ali-  
 quem designabant, qui postea specie te-  
 nus ac duntaxat, ut exterior servaretur  
 ritus, eligebatur. Mahometes igitur  
 hanc consuetudinem imitatus, quosdam  
 Episcopos, qui forte prope Constantino-  
 polim substiterant, paucosque de Clero  
 ibidem existentes, ac civium primores  
 convocavit, qui ad ejus imperium cele-  
 berrimum Senatorem Georgium Schola-  
 rium elegerunt, illum ipsum, qui in Con-  
 cilio Florentino unionis causam adeo  
 strenue promoverat, Vir sua ætate Græ-  
 cos inter scientiæ laude facile princeps.

## §. CXXII.

*Mahometes neo-electo Patriarchæ pos-  
 sessionem Patriarchatus consueto  
 more tradit.*

Scholarius mutato nomine Gennadius  
 vocari voluit. Cum vero pro more  
 veteri Imperatoris esset, ut neo-electum  
 Patriarcham ad munus suum introduce-  
 ret, ac Sedis suæ possessionem eidem ex  
 formula traderet, Mahometes quoque  
 juxta

Sæcul. XV.  
 A.C. 1453.

Sæcul. XV. juxta eundem ritum ea omnia præstare  
A.C. 1453. voluit Gennadio, qui peracta sui electione,  
 ab electoribus ad amplissimam imperialis  
 palatii aulam, sumptuosissime orna-  
 tam ductus est, ibidemque Sultanus re-  
 gio habitu insignis e cubili suo egressus,  
 ad tabulatum prægrandi purpurei coloris  
 tapete stratum sese demisit. Tum Neo-  
 electus sedem suam e regione Imperato-  
 ris occupans, ad Mahometem ducitur,  
 qui solemniter Pedum, sive virgam pa-  
 storalem tradens, alta voce hæc pronun-  
 tiavit verba: *Sancta Trinitas, quæ mihi  
 Imperium donavit, auctoritate, quam ab  
 ea accepi, te in Archiepiscopum novæ Romæ,  
 & Patriarcham Oecumenicum eligit.* Nec  
 his contentus Gennadium ad extremam  
 usque Palatii portam comitatus est.  
 Cum autem sibi templum S. Sophiæ in  
 primariam Moschæam, seu Turcarum fa-  
 num reservasset Mahometes, Gennadio  
 Ecclesiam duodecim Apostolorum in Pa-  
 triarchalem sedem designavit, eumque  
 illuc solemniter deduci præcepit;  
 quod & factum est; quippe Mahometis  
 jussu omnes ejus Proceres, quos *Veziros*  
 vocant, omnesque *Bassæ* seu Belliduces  
 Patriarcham generoso, alboque equo  
 splendide ornato vectum ad præfatam  
 Ecclesiam per mediam urbem pedestres  
 comitabantur.